

DE ADSESSORIBUS ET DOMESTICIS ET CANCELLARIIS IUDICUM.

1.51.1

Imp. Diocletianus et Maximianus AA. Paulino.

Studiorum labor meretur, ut hi, qui in publicis administrationibus constituti sociari sibi consiliorum participes cupiunt, spe praemiorum atque honorificentia sua provocent eos, quorum prudentiam sibi putant esse necessariam, non metu terribili et necessitate incongrua libertati.

D. prid. id. Iul. Tiberiade Maximo II et Aquilino cons. [a. 286]

1.51.2

Imp. Constantinus A. ad Bassum pp.

Praesides non per adsessores, sed per se subscribant libellis. quod si quis adsessori subscriptionem inconsultis nobis permiserit, mox adsessor qui subscripsit exilio puniatur: praesidis vero nomen ad nos referri iubemus, ut in eum severius vindicetur.

D. XV k. Sept. Constantino A. VI et Constantino C. cons. [a. 320]

1.51.3

Imp. Arcadius et Honorius AA. Messalae pp.

Consiliarios iudicum et cancellarios et eos, qui domesticorum funguntur officio, post depositam administrationem quinquaginta dies in provincia residere praecipimus.

¶ Pro confesso autem tenebitur, qui accusatus huiusmodi personam subtraxerit: eaque in quadruplum restitui iubemus, quae desiderantur ablata, ut duplum spoliatus accipiat, duplum noster fiscus adquirat.

D. VI k. Ian. Mediolani Theodoro cons. [a. 399]

1.51.4

Idem AA. et Theodosius A. ad Caecilianum vicarium.

Domesticus iudicis a publicis actibus arceatur. quod si necessitatibus publicis sese convictus fuerit miscuisse, statim eum ad maioris potestatis examen deduci oportet, ut competens in eo vindicta promatur.

D. VI id. April. Honorio A. VI et Aristaeneto cons. [a. 404]